

1522 tum ad agros, & oppida tutanda intra Venetorum fines reciperet : summum in illis ad prosperos belli eventus momentum habiturum : curarent præterea, ne Gallica præsidia in urbes immitterentur, ne hostis, inde occasione arrepta, in nostras ditiones eliceretur. At oblatum pugnandi studium, quamvis summo periculo conjunctum Lautrechius animadverteret, ac quantum exorando, adhortando, pollicendo posset, Helvetiorum ardorem restinguere conaretur, nihil impetrare valuit. Ex duobus igitur extremis consiliis illud est amplexus, quod in speciem dignius, ac ad bellum profligandum aptius existimavit, dubiumque pugnae exitum periclitari, quam Helvetios dimittere satius duxit.

*Prælium ad
Piccocam.*

Itaque cum hostes ad Piccocam tribus a Mediolano millibus castra locasse intellexisset, solis exortu curatis corporibus, Modoetia recta exercitum movit, ut hostes, quos castris contineri noverat, neque exituros putabat, totis viribus aggrediretur. Helvetios primum duplici agmine cum æneis tormentis quatuordecim præmittit : iis Babo Naldius cum octingentis Venetorum scloppetariis adjungitur : hos medium agmen cum hastatis Gallorum equitibus subsequitur ; Veneti pedites cum novem bellicis machinis in postrema acie locantur, quam cataphracti in duas turmas sejuncti claudebant. Helvetiis primus aggrediendi castra injunctus est labor, in quorum fronte Germanorum militum robur, Georgio Frandispergio duce, Prosper Columna collocaverat, qui loci opportunitate non parum ad Helvetiorum impetum sustinendum juvabantur : domus enim aderat valde opportuna, undique hortorum amœnitate, qui profundis fossis sejungebantur, circumsepta, agrorumque fertilitate, aquarum irriguis fontibus conspicua, intra quos exercitum communiverat : itaque & natura loci, & militum virtute hostium impetum, quos adventare crebri speculatores attulerant, sustinere posse sibi pollicebatur, illos palam victos distitans. Fertur enim ad Hieronymum Moronum, qui paulo ante in castra venerat, conversum, bono animo esse jussisse ; nam si eo loco prælium committere hostes vellent, victoriam in manibus tenere. Milites itaque in armis esse jubet, ordines disponit, quæ cuique agenda sint, præcipit ; ad Franciscum Sfortiam nuntios mittit, ut quotquot e populo ad arma